

D O M I N I V M
E C C L E S I A S T I C V M.



Ontifex sex ditio-
num in Italia potens
est, quæ magna ter-
rarum spatia occu-
pant. Etenim in me-
dio Italiae imperat
urbi Romæ & toti
Latii; magnæ parti
Etruriæ; Vmbriæ,
ducatui Spoletano,
Perusia & Bononiæ; Ferrariae, nec non Flami-
niæ, & agro Piceno, & parti Samnii. quibus nu-
per accessit Vrbini ducatus, præterquam quod
supremum jus habet in regno Neapolis & Siciliæ,
Placentia & Parma; in ditione quoque Ra-
dicofanensi; cum territorio quod adusque pón-
tem Centinum porrigitur, & à Florentinis per-
petui vicariatus titulo possidetur. Ditiones suas
per Legatos regit, qui plerumque sunt Cardinales
magni nominis, & raro ipsi in provinciis
suis degunt; in cæteris locis gubernatores con-
stituit & potestates, ut Itali vocant: qui nihil
magni momenti decernere possunt, sed referunt
ad Consultam, quæ Romæ bis singulis septima-
nis tenetur, constans è principalibus viris, qui
summa prudentia & brevitate causas determi-
nant. Romæ vero sub Papa ipso regimen est
penes tria collegia; (congregationes ipsi vo-
cant.) quorum prius de brevibus, alterum justi-
tiæ, tertium de gratiis appellatur. Causæ deni-
que criminales referuntur ad Gubernatorem,
qui primum locum obtinet post Cardinales, &
plerumque Pontificem comitatur.

Cardinales non possunt esse plures quam
Lxx, per constitutionem Sixti V, secundum nu-
merum discipulorum Servatoris nostri Iesu
Christi. sed Pontifices pro arbitrio & per dis-
pensationem nonnunquam numerum hunc ex-
cedunt; interdum & multo pauciores sunt.
Summopere autem à Principibus Catholicis
observantur; qui muneribus & officiis illos sibi
proprios reddere conantur, præsertim nepo-
tes Papæ, qui plerumque omnia apud Pontifi-
cem possunt. Inter Cardinales quidam sunt
Principes, è summis Europæ familiis nati; qui-
dam ob raram prudentiam, aut doctrinam, in
collegium alleguntur. In electione utrorum-
que Pontifex Principibus plerumque gratificari
solet.

Pontifex inter Cardinales partitur quatuor
officia summæ dignationis. Quorum primum
est magni Pœnitentiarii; qui penitata culpa
confitentium una cum consistoribus suis, pœ-

nitendi modum præscribit. sub isto sunt alii pœ-
nitentiarii minores: qui confitentes audiunt, &
aut absolvunt, aut, si res majoris momenti sit,
celato nomine confitentium, ad pœnitentiarii
supremi congregationem referunt. Secundum
munus est Vicarii Papæ, qui curat cultum divi-
num & regimen spirituale. Tertium est Vice-
cancellarii, (nam Cancellarii dignitas penes
ipsum Pontificem censetur esse, aut S. Lauren-
tium,) qui plurimos habet ministros sibi subor-
dinatos; nam omnes judices ipsi subserviunt;
etiam Auditores Rotæ, qui sunt Prælati magnæ
dignitatis, viri doctrina & prudentia, rerumque
usu præstantissimi, qui de causis totius Christia-
nitatis cognoscunt. Sunt autem numero xii.
Vnus nomine Franciæ, qui ut plurimum est
Decanus, secundus Germaniæ, tertius Hispaniæ,
quartus Arragoniæ, quintus Portugalliaæ, sextus
Mediolanensis ducatus, septimus & octavus Bo-
noniensium, nonus Perusiaæ, decimus & undeci-
mus Romanorum, & duodecimus Reipublicæ
Venetae. Quartum officium est Camerarii, qui
multis gaudet prærogativis: habetque sub se
quamplurimos ministros, puta Auditores ma-
gnæ dignationis, Thesaurarium generale, Commissarium, & xii Clericos, & alios infini-
tos pene. Atque omnia hæc ministeria vena-
lia sunt, ita ut Auditores & Thesaurarius pro
munere obtinendo solvant singuli Lxx aut Lxxx
millia ducatorum.

Sed relationem jam audiamus incerti, qui
sub Sixti V pontificatu scripsit, anno 1585.

Dominatus, inquit, Romani Pontificis ma-
gnus est; & in unum redactus, utrumque ma-
re attingit, fertilis totus, excultissimus, uberi-
mi agri, omni commoditate refertus, populo-
rum & bello aptorum hominum plenus. Et
quoad annonam, solus ager Picenus præteritis
annis minimo negotio potuit Venetorum im-
perio plus quam centum millia modiorum tri-
tici subministrare. Patrimonium vero, quod est
Viterbii, & adjacentium agrorum territorium,
potuit olim Liguriæ, Neapolis, & remotiorum
locorum egestati subvenire.

Verum quod spectat ad milites, communis
est opinio, in Ecclesiastico statu meliores eos
deligi posse, quam in tota reliqua Italia, imo Eu-
ropa: crediturque ex agro Piceno & Flaminia
viginti quinque millia hominum bello idoneo-
rum educi posse: ex Patrimonio vero & Latio
fortasse totidem.

Et quanquam dubio procul ex iis regionibus
Pontifex minimos colligit redditus, utpote qui

Italia.

X x

oppi-